



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GAGNOAËNSIS*** IN LITORIS EBURNEI FINIBUS
NOVA PROVINCIA
ECCLESIASTICA CONSTITUITUR GAGNOAËNSIS, CUIUS
METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM NOMINIS Cum in Litore Eburneo catholica fides haud parva
cepisset incrementa, quae pastorali Episcoporum cura consociata cum alaci opera cleri loci ac missionariorum videntur
posse in futurum augeri, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis,
censuit nuper ut in eadem Natione novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Nos vero pro summo Apostolico, quo
fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia
decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi distrahimus dioeceses Gagnoaënsem, Daloaënsem, Manensem et
Sancti Petri in Litore Eburneo atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam *Gagnoaënsem*, cuius Sedes princeps erit
Eccelesia Gagnoaënsis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus
et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper
Venerabilem Fratrem Natalem Kokora-Tekry, hactenus Episcopum Gagnoaënsem, Archiepiscopum Metropolitam
Gagnoaënsem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus committimus
perficienda Venerabili Fratri Ianuario Bolonek, Archiepiscopo titulo Madaurensi atque in Litore Eburneo Apostolico
Nuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium
Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet
rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo
nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

JOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, pp. 537-538 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana